



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 79. Consilium de petenda Pontificis Constitutione ccontra Quesnelii errores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. excipiendi facultatem exceptis tamen  
 A. C. 1711. Monialibus, dedit: Querebatur de-  
 per Pater Daniel, cui tamen respondit  
 Noaillius, se eidem ceterisque Jesuitis  
 pro Apostolicis laboribus hucusque im-  
 pensis grates rependere, de cetero tot  
 intra Diæcesin esse Operarios, ut la-  
 borum socios advocare, superfluum lo-  
 ret. Hac agendi ratione Cardinalis  
 suæ causæ parum consuluit, sibi que  
 majorem Regis indignationem accere-  
 sivit, partim quia omnes reconciliatio-  
 nis vias respuit, partim quia sæpius a  
 Rege aliisque interpellatus, nunquam  
 Jesuitis ademptam S. Ministerii facul-  
 tatem restituit.

## §. LXXIX.

*Consilium de petenda Pontificis Con-  
 stitutione contra Quesnelli  
 errores.*

*Lafiteau &  
 D'orsann.  
 l. c. Pfaff.  
 Hist. Const.  
 Unig.*

Cum interea Quesnelistæ nullum mo-  
 moverent lapidem, ut sui Magistri  
 librum adversus omnium oppositiones  
 tuerentur, vicissim Episcoporum potes-  
 tati nulli pepercerunt labori, ut Ques-  
 neliani errores penitus auctoritate po-  
 blica eradicarentur; hanc in rem apud  
 Ludovicum Franciæ Regem die undec-  
 cima Novembris instabant, ut Regium  
 quo præfatum librum honorabat, pri-  
 vilegium



vilegium revocaret, ac Regii Senatus Sæc. XVIII.  
 decreto infaustum Quesneli partum sup- A. C. 1711.  
 primeret; eo impetrato Episcopi Del-  
 phinum rogabant, ut Regem ad Con-  
 stitutionem contra Quesnelianos errores  
 a Papa petendam induceret: Hanc in  
 rem Cameracensis Archiepiscopus Chev-  
 reusium & Beauvillerium Duces, qui  
 apud Delphinum gratia & auctoritate  
 plurimum valebant, sollicitabat: Per-  
 oportune etiam Bissyus Meldensis Epi-  
 scopus Versalliis cum Rege collocutus,  
 eidem exposuerat, quod Noaillio Car-  
 dinali non ita pridem Quesnelianas  
 reflexiones damnandi necessitatem ex-  
 ponens, eundem rogarit, ut propria  
 retractatione Pontificis sententiam præ-  
 veniret, Cardinalis etiam se Pontificiæ  
 decisioni mox adhæsurum, si Papa ad  
 solemnem Quesneliani libri proscriptionem  
 induci posset, pollicitus esset.  
 Hæc inaudiens Rex de mutata Cardi-  
 nalis sententia lætus, rem totam Del-  
 phino aperuit, simulque Noaillio, qui  
 præfixa die Regem pro more accesserat,  
 promptum recipiendæ Constitutionis  
 animum gratulatus est. Ad hæc Noail-  
 lius velut fulmine tactus, declarabat,  
 ejusmodi consilio sibi aut scopulum,  
 quo allideretur, aut laqueum, quo  
 caperetur, parari. Tandem spectata  
 rerum vicissitudine Delphinus Noail-  
 lium

*Hist. Eccl. Tom. LXVIII. Z li*



Sæc. XVII. A. C. 1711. lio suadebat, ut prior ipsemet cum summo Pontifice conferret, ac reflexionem librum sacræ Sedis iudicio submitteret, id facere renuit Cardinalis, reponens, eiusmodi iudicium a Papæ petere solius Regis esse, suarum verò partium Pontificiæ decisioni obtemperare; quoniam vero Cardinalis nil certum sibi persuasum habebat, quam quod Pontifex librum, quem jam dudum sua Constitutione in Gallis non receptam damnauerat, nunquam nova Constitutione damnaturus esset, hac fiducia deceptus, se, ut eiusmodi Bulla a Papæ per Regem obtineretur, vehementer optare simulabat, quinimo hoc suum desiderium Regi, Delphino, aliisque amicis suis sæpius manifestabat, atque Heberto Agennensi Episcopo die vigesima Decembris perscripsit, se nunquam passurum, ut Ecclesia scindatur ob librum, quo religio facile carens posset, quem si Papa censuris perstringendum censuerit, se Pontificiam decisionem omni, qua posset veneratione recepturam, ceterisque priorem perfectæ submissionis specimen daturum. Ut vero Rex Cardinalis animum magis exploraret, eundem vehementer urgebat, ut prior ipse sine mora reflexiones damnaret; renuit tamen Noailles, caussatus, Papam ægre laturum



si Sacræ Sedis iudicium præcoci sententia prævenire auderet: Instat denuo Rex, a Noaillo postulans, ut sincere desuper mentem suam aperiat: Hic vero reposuit, vereri se, ne in reflexionibus ea, quæ Pontifex approbat, damnaret, & eas propositiones, quas hic rejicit, tanquam orthodoxas approbaret, nil ergo tutius fore, quam Pontificis iudicium præstolari, cui se plene subjecturus esset.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1711.

§. LXXX.

*Pontifex ad damnandum Quesnelli librum sollicitatus.*

Postquam igitur Noaillius Cardinalis five sicte & simulate, five ex animo in Pontificiam decisionem contra reflexionum librum a Papa petendam consenserat, Ludovicus Rex iuncta cum Delphino opera hunc librum apud sacræ Sedis Tribunal deferre constituit, hancque in rem die duodecima Decembris Tremollo Cardinali Romæ agenti negotium dedit, ut Regis nomine a Papa Constitutionem peteret, qua Quesneli errores, ejusque reflexiones censuris perstringerentur. Conficitur igitur in Galliis libellus supplex hac super re Pontifici porrigendus, in quo tamen eidem insinuat, ut suam

Limiers t. 3.  
pag. 500.  
Mem. Chronol. & Dogmat.